

B. m. II, 27. 442, 20  
h. 4, 20.

II n  
988

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA  
DE  
SUBSCRIPTIONE  
ATQUE  
SIGNATURA XII. ARTICU-  
LORUM PRÆLIMINARIUM  
DE AN. MDCC XXVII

QUAM  
PRO JURIBUS QUIBUS LIPSIENSES  
PHILOSOPHIÆ MAGISTRI GAUDENT  
OBTINENDIS  
M. GOTTLIEB SCHUMANN  
J. U. C.

RESPONDENTE HORIS POMERIDIANIS  
EPHRAIM HERRMANNO  
TROZENDORF. LUSAT.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT.

---

D. V. MARTII A. O. R. CIO IO CCXXIX.

---

LIPSIÆ,  
LITTERIS GEORGII SAALBACHII.

18

18.



INCLYTÆ REIPUBLICÆ  
LIPSIENSIS

MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS  
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
ATQUE PRUDENTISSIMIS

DOMINIS  
CONSULIBUS  
PRO-CONSULIBUS  
ÆDILIBUS  
PRÆTORIBUS  
SYNDICO

ATQUE RELIQUIS

SENATORIBUS,

VIRIS

JUSTITIÆ, INTEGRITATIS ATQUE PRU-  
DENTIÆ LAUDE QUAM MAXIME  
CONSPICUIS,

DOMINIS PATRONIS  
ATQUE  
MÆCENATIBUS  
ÆTERNUM COLENDIS DEVENERANDISQUE  
HOC QUALECUNQUE LABORUM ACADEMICORUM  
SPECIMEN  
CUM ARDENTISSIMA  
OMNIGENÆ PERENNISQUE PROSPERITATIS  
APPRECIATIONE  
OFFERT ATQUE CONSECRAT

TANTORUM NOMINUM

GLIENS DEVOTISSIMUS

M. GOTTLIEB SCHUMANN  
GORLIC, LUSAT.



Non autem omnia hic loco alius & quibus  
interlocutoris quibus in acciderit ut plura ex  
§. I.

**Q**Uum illa scientia, quæ circa Gentium fœdera, pactiones & conditiones, denique circa omne Belli & Pacis jus versatur, admodum me delectet; in argumento quoque quod ad isthanc scientiam pertinet, hac imprimis occasione virium mearum periculum facere volui.

Recentium vero haud incuriosus, illud potissimum selegi, quod proxima suppeditarunt tempora, quoniam de iis quæ nostra ætate inter Gentes atque Principes peraguntur, etiam in Academiarum spatiis pro cognitionis modulo differere, dummodo prudentiæ limites non egrediamur, mea quidem sententia innoxium nec inutile est. Cæterum eruditorum quoque studia ex aliquo tempore in hac eruditionis parte fervent, quippe quæ non iis tantum qui ad Republicæ clavum sedent, aut negotiis publicis admoventur, sed omnibus qui Gentium jura, atque rerum gestarum momenta penitus noscere cupiunt, perquam necessaria est. Horum igitur egregii conatus

A

mihi

mihi sponte currenti calcaria addiderunt, pariterque suscepti laboris veniam pararunt, licet impari passu eos sequar. Sed plura ad excusandum dissertationis argumentum in medium proferre, ab instituti ratione alienum existimo, quare ad propositum veniemus.

§. II.

Non autem opus est hoc loco altius & quasi à fonte repetere quemadmodum acciderit, ut plura ex aliquo tempore successerint quæ Paci disturbandæ locum dare potuissent, nisi Potentissimi Europæ Principes atque Status de medela huic malo afferenda quam maxime solliciti fuissent. Notasse sufficiat, egregium hoc pacis conservandæ studium superiori anno MDCCXXVII eo rem perduxisse, ut Sacratissima Sua Cæsarea, Regio-Catholica Majestas, Sacra Sua Majestas Christianissima, Sacra Sua Majestas Britannica, & Celsi ac Potentes Unitarum Belgii Provinciarum Domini Status Generales de componendis omnibus simultatibus serio cogitationem susceperint, eamque ob causam una cum Sacra Sua Regio-Catholica Majestate Hispanica certos quosdam Articulos, ad præparandum Congressum pro Pacificatione generali instituendum, prævie seu præliminariter subscripserint. (a)

§. III.

(a) Conf. Diaria politica de anno 1727. v. g. *Mercurie historique & politique, die Europäische Fama &c.* imprimis vero, *Recueil historique d'Affaires, Negotiations, Memoires & Traitez, depuis la Paix d'Utrecht jusqu'au Second Congrès de Cambray inclusivement, par Mr. ROUSSET. à la Haye 8vo 1728. Tomes IV.*

§. III.

Horum vero Articulorum Præliminarium Instrumentum, si accuratius illud inspiciamus, ratione subscriptionis atque signaturæ peculiarem meretur attentionem, quippe quod ab hæctenus recepta, atque inter Gentes plerumque usitata signandi subscribendique forma plane discedit. Totam rem sic habeto. Postea, quam Sacra Sua Majestas Christianissima tertias Articulorum Præliminarium tabulas à Sacra Sua Cæsarea, Regio-Catholica Majestate acceperat, Baro de FONSECA, Comes de MORVILLE, & Dominus WALPOLE apud Dominum BOREEL, ex morbo decumbentem, horum Articulorum Instrumentum (b)

A 2

absque

(b) Genuina ejus verba hæc sunt : *Notum sit omnibus & singulis, quod cum à nonnullo tempore plura successissent, quæ Paci Europæ disturbandæ locum dare potuissent, nisi quam citius medela allata fuisset, Sua Sacra Cæsarea Regio-Catholica Majestas, Sua Sacra Majestas Christianissima, Sua Sacra Majestas Britannica, & Celsi ac Potentes Domini Status Generales Unitarum Belgii Provinciarum, sese invicem quam maxime pronos exhibuerint, ad omnia ea inquirenda, quæ has omnes simultates componere possent, & ad hunc scopum attingendum Plenipotentiarum Tabulis muni-verint; nempe Sua Sacra Cæsarea Regio-Catholica Majestas Dominum Baronem d' Effonsca, Sua Sacra Majestas Christianissima Dominum Comitem à Morville, suum Ministrum ac Status Secretarium & aurei Velle-ris Equitem; ac Sua Sacra Majestas Britannica Dominum Horatium Walpole, itidem Celsi & Potentes Domini Status Generales Fæderati Belgii Dominum Guilielmum Boreel, qui omnes post maturam inter se disqui-sitionem & communicatis invicem Plenipotentiarum tabulis quarum copie infra transcriptæ reperientur, vigore earundem Plenipotentiarum super subsequeñtibus articulis præliminaribus convenerunt.*

Art. I.

absque ulteriori mora Parisiis die ultima Maji subscri-  
bebant atque signabant. Nullus vero Minister Ple-  
nipotentiarius Hispanicus illo tempore Parisiis ade-  
rat, qui Articulorum Præliminarium Instrumentum  
una subscribere atque signare potuisset; Sacra quo-  
que Sua Majestas Hispanica ad omnes hæc de com-  
muni

Artic. I. *Cum Sua Sacra Casarea Regio-Catholica Majestas Commer-  
cium Ostendannum apud nonnullos finitimos emulationem atque etiam sollici-  
tudinem excitasse animadvertat, publica Europæ tranquillitatis causa con-  
sentit, ut Privilegium vulgo Octroy Societati Ostendane concessum, omne-  
que ex Belgio Austriaco in Indias Commertium per spatium septem anno-  
rum suspendatur.*

II. *Jura aut ea, que vi Tractatus Trajectensis, Badensis, Quadrupli-  
cis Fæderis, atque etiam eorum Tractatum & Conventionum que annum  
1725 præcesserunt, & Imperatorem ac Status Generales Fæderati Belgii  
non tangunt, à quocunque contractantium possessa fuere intacta remane-  
bunt, si quid vero super iis immutatum, vel executioni mandatum non fu-  
isse comperietur, juxta tenorem eorundem Tractatum ac Conventionum  
Status immutatus aut executioni non datus in futuro Congressu discutietur  
& decidetur.*

III. *Consequenter cuncta Commerciorum Privilegia, quibus Natio Gal-  
lica & Anglica, subditique Statuum Generalium Fæderati Belgii antehac  
vigore Tractatum cum in Europa, tum in Hispania prout & in Indiis ga-  
visi sunt, ad eum usum & normam revocentur, secundum quam per Tracta-  
tus a. 1725 anteriores cum singulis conventum fuit.*

IV. *Principes Septentrionis ab eorum respectiva Confederatis invita-  
buntur, requirenturque, ut ab omni via facti mutuo abstineant, quin potius  
omnia media æquabilia conciliandæ mutuo inter se Pacificationis ample-  
ctantur. Partes vero, Contractantes spondent usque dum Congressus in-  
choetur, (de quo infra) in quo Partium intervenientium dissidia amicabiliter  
discutientur, nec directe nec indirecte quoruncunque sub colore aut præ-  
textu ad ullam viam facti processuras, quo præsens Septentrionis ac infe-  
rioris Germaniæ Status turbari possit, quin serio promittunt, omnia se con-  
silia inire velle, quo hostilitates, si quæ forte intercederent, sopiantur.*

V. Mox



muni tranquillitate conservanda curas directe nondum descenderat. Unanimi igitur suffragio respective Ministri Plenipotentiarum modo laudati aliud Instrumenti exemplar, Parisiensi simillimum, Viennam mittere decernebant, quo Dux de BOURNONVILLE cum reliquis intervenientium Principum Ministris

A 3

Pleni-

V. Mox à subscriptis presentibus Articulis hostilitates quaecunque, si forte quæpiam inchoatæ fuissent, cessabunt, & respectu Hispaniæ, octiduum postquam Sua Majestas Catholica hos Articulos subscriptos receperit. Navibus illis quæ ante præfatam cessationem Ostendana in Indias vela fecerunt, & quorum nomina in Tabellâ quadam nomine Suae Majestatis Cæsareæ Regio-Catholicæ conscribenda declarabuntur, liber tutusque ex Indiis Ostendam, concedetur reditus, & si quæ forte Naves interceptæ fuissent, ea unâ cum bonis ac mercibus eisdem impositis bona fide resituentur. Paræque tutus navibus illis onerariis (vulgo Galliones dictis) admittetur reditus, in ea firma fiducia, Regem Catholicum intuitu oneris seu rerum ac mercium, tam in majori quam in minori illa Classe Hispanâ Galliones & Flotillâ contentarum, cum ipsam, quo liberioribus antea semper temporibus usus est, modum esse adhibiturum. Cui consequens est, quod Classis Anglica non solum à Portubello, omnibusque in America ad Regem Hispaniarum pertinentibus Portibus abscedet, quam primum fieri poterit, verum & ejusdem Classis Præfectus Hozier una cum illa in Europam revertetur, quo subditi Suae Majestatis Regio-Catholicæ in Indiis ab omni ulteriori molestiâ & sollicitudine liberentur. Commertium ab Anglis in Americam uti de præterito, juxta Tractatus exercebitur. Pariter Classes Gallorum, Anglorum aut Batavorum quæ forte circa littora Hispanica, vel etiam circa illa ad Imperatorem pertinentia sese detinere possent, inde omni quæ fieri potest majori celeritate, mox à tempore quo isthæc cessatio hostilitatum inchoabit, sese recipient, ut Accolæ dictorum littorum ac orarum ab omni deinceps sollicitudine ac metu tuti ac liberi sint, nihilque dictis Navibus contra modo memoratos Portus, sive directe sive indirecte moveri licitum esto.

VI. Isthæc hostilitatum cessatio tamdiu quamdiu suspensio Privilegii Societati Ostendanae concessi, nimirum per septem annos, durabit, ut intra hoc temporis

Plenipotentiariis Viennæ commorantibus signaret. Signabat etiam paulo post Viennæ Dux de Bournonville cum Duce de Richelieu & Domino Hamel-Bruyninx, sed ibi quoque vice versa nullus Legatus Britannicus præsens erat; ea enim quæ Dn. Palm Londini acciderant, Domino de Pesme St. Saphorini Dynastæ Vienna se recipiendi necessitatem attulerant. Quare isthæc tandem negotii expediendi ratio excogitabatur, ut Dux de Bournonville atque Dominus Walpole Instrumentis obligatoriis, uti vocant,

---

*temporis spatium jura rationesque reciproce commode conciliari, generalisque Pacificatio eo solidius stabiliri possit.*

VII. Si forte post subscriptionem istorum Preliminarium inter Principum contractantium subditos, sive in Europa, sive in Indiis, turbas sub qualicumque prætextu moveri aut hostilitatis actus exerceri contingeret, ii damna à suis respectivè subditis perpessa communi ope reparabunt.

VIII. Secuta præcedentium Articulorum acceptatione & subscriptione, Congressus intra spatium quatuor Mensium à die subscriptionis computandorum Aquisgrani instituetur, intra quorum decursum, jura & præensiones Principum contractantium, eorumque qui ad dictum Congressum invitati fuerint, examinabuntur, discutientur ac terminabuntur.

IX. Plenipotentarii nominandi non poterunt nisi solos duos Nobiles, duos Ephebos, & sex famulos seu pedisequos in comitatu suo habere, quo promptius se ad iter parare possint, & ut omnis emulatio, luxus ac sumtus evitentur.

X. Ceremoniale nullum observabunt, eamque normam tenebunt, quæ in nupero Congressu Cameracensi observata fuit, idque ad declinandas eas difficultates, quæ circa præcedentiam oriri possent, facultate tamen protestandi cuique pro arbitrio relicta.

XI. Principes suis respectivè Plenipotentiariis serio demandabunt, ut omnia impedimenta seu tricæ evitent, quæ protrahere velturbare Congressum nullo modo possent.

XII.

cant, invicem rite commutatis (c) huic negotio finem imponerent. Fiebant quoque omnia de consilii sententia atque uti Instrumentum obligatorium Domi-

XII. Ratificatio horum Articulorum intra spatium duorum mensuum aut citius si fieri poterit, à die subscriptionis erga se invicem extradetur.

In quorum fidem Nos infra scripti Ministri Plenipotentiarum Suae Sacrae Caesareae Regio-Catholicae Majestatis, Suae Sacrae Regiae Majestatis Christianissimae, Suae Sacrae Regiae Majestatis Britannicae & Celsorum ac Potentium Dominorum Statuum Generalium Unitarum Belgii Fœderati Provinciarum, hosce articulos manu nostra subscripsimus & sigillis nostris communiavimus. Actum Parisiis die ultima mensis Maji, Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo septimo.

|                    |               |             |            |
|--------------------|---------------|-------------|------------|
| Marcus Baro d' Es- | Le C. de Mor- | H. Walpole. | G. Boreel. |
| ffonsca.           | ville.        |             |            |
| (L. S.)            | (L. S.)       | (L. S.)     | (L. S.)    |

(c) Dn. Horatius Walpole in literis ad Ducem de Richelieu datis de 1. Jun. 1727. expresse declarat; - - - *En cas que Mr. le Duc de Bourbonville consente de mettre entre les mains de Vôtre Excellence pour m' être envoyé pareil acte obligatoire pour S. M. Cath. envers le Roi mon Maître, alors, Monsieur, Vous aurez la bonté de lui remettre le mien, lors qu' on signera & fera l' échange des Instrumens à Vienne, entre Vôtre Excell. & le Duc de Bourbonville, aussi bien qu' entre lui & Monsieur Hamel- Bruyninx; mais en cas que, contre toute attente, Monsieur le Duc de Bourbonville ne veuille accepter mon Acte, & delivrer un pareil de son côté, Vôtre Excell. verra par la dépêche de Mr. le Comte de Morville, qu' on est expressement demeuré d' accord ici, qu' en tel cas, ni Vous, ni Mr. Bruyninx ne signerez aucune chose avec Mr. le Duc de Bourbonville, d' autant qu' il paroitroit fort étrange & qu' il n' est nullement convenable que les Ministres des Alliez du Roi mon Maître signent & concluent la Paix avec l' Espagne tandis qu' aucun Ministre de Sa Majesté ne signeroit point la Paix avec cette Couronne. C' est pourquoy on est convenu, que si Mr. le Duc de Bourbonville refuse de Vous remettre le susdit acte obligatoire envers le Roi mon Maître, Vôtre Excell. & Mr. Bruyninx différerez toute signature, - - -*

Domini Walpolii (d) Baro d'Effonseca, Comes de Morville & Dn. Boreel attestationibus suis Parisiis muniverant, ita quoque instrumentum obligatorium Ducis de Bournonville, Eugenius Sabaudia Princeps, Comes

(d) Tabulae obligatoriae Domini Horatii Walpole hæ sunt:

*Comme les Ministres, qui ont signé ce jour d'hui les Articles Préliminaires, ont considéré, que n'ayant pas ici un Ministre de Sa Majesté Catholique, ni à Vienne un Ministre de Sa Majesté Britannique, il étoit impossible, en suivant les formes ordinaires, de donner aussi tôt, qu'il seroit à désirer, la dernière main aux Actes, qui seroient obligatoires entre Sa Majesté Britannique & Sa Majesté Catholique, je Soussigné, pour remédier à cet inconvénient, ai, en vertu de mes Pleinpouvoirs, signé seul un Acte pareil à ceux qui ont été signés ce jour d'hui, lequel est compris ci dessous.*

FIAT INSERTIO.

(Signé)

(L. S.) H. WALPOLE.

*En vertu de mon Pleinpouvoir, susdit, je declare, que cet Acte ainsi signé par moi seul sera obligatoire pour le Roi de la Grande-Bretagne mon Maître envers Sa Majesté Catholique comme s'il avoit été signé avec un Ministre de Sa dite Majesté Catholique; bien entendu que Son Excellence le Duc de Bournonville en remettrait aussi un signé de lui, pareil au présent Acte, lequel seroit de même obligatoire envers le Roi mon Maître, promettant qu'il sera remis dans le terme marqué par le XII des Articles Préliminaires, une Ratification du Roi de la Grande-Bretagne pour être échangée contre celle de Sa Majesté le Roi d'Espagne.*

*En foi de quoi, j'ai signé la présente Declaration, & y ai fait aposer le Cachet de mes armes. Donné à Paris ce 31 May, l'an de grace 1727.*

(Signé)

(L. S.) H. WALPOLE.

*Nos infra scripti Ministri Plenipotentiarü Suae Sacrae Caesareae Regio-Catholicae Majestatis, Suae Sacrae Majestatis Christianissimae & Celsorum ac Potentium Statuum Generalium Foederati Belgii, testatum facimus, verum esse*

Comes à Sinzendorff, Dux de Richelieu & Dn. Hamel-Bruyninx Viennæ attestationibus corroborabant. (e)

§. IV.

En ergo L. B. Instrumentum aliquod plane contra hætenus receptam atque inter Gentes plerumque usitatam signandi subscribendique formam signatum. Cum enim illa in eo potissimum consistat, ut Ministri Plenipotentarii contractantium Principum Instrumenta tot exemplaribus ejusdem tenoris expedita, quot Principes interveniunt, eadem die in eodem loco atque una manibus propriis subscribant sigillisque apposis corroborent; singula certe requisita in Instrumento de quo sermo est neglecta deprehendimus. Contractantium enim Principum respectivè Ministri Plenipotentarii partim Parisiis, partim Viennæ signant, Parisiensia exemplaria die XXI Maji, Viennensia die XIII Junii subscribuntur, tabulas obligatorias pro se quisque fo-

B lus

---

*esse quod supra, Domini Walpole, Sigillum & Signaturam, cujus omnes una fuimus testes; in cujus fidem hoc testimonium manu Nostra subscripsimus, Sigillisque Nostris communicavimus.*

*Actum Parisiis eodem ultimo Maji Anno 1727.*

(Signatum)

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

Marcus Baro de

Fleuriau de Morville.

G. Boreel.

Fonsæca.

(e) Reliqua post isthanc Signaturam atque subscriptionem suscepta negotia inprimis vero *Conventionem de Pardo de anno 1728. d. 6. Mart.* exhibet ROUSSET. c. l. T. IV. p. 13. seqq.

lus signat, ideoque omnia, uti dixi, à solenni signandi subscribendique forma abeunt.

§. V.

Jam autem de autoritate ejuscemodi Instrumenti quale Articulorum Præliminarium est, ratione subscriptionis atque Signaturæ paullo curatius, paucis tamen differere curæ pretium mihi videtur. Plerorumque enim rebus publicis admotorum adhuc est opinio, solennem & hætenus plerumque usitatam signandi subscribendique formam in Conventionum publicarum Instrumentis minime esse negligendam. Inspicias modo, ut alia taceam, celebres illas Fœderis quadruplicis tabulas, (f) & deprehendes, quanto ardore nonnulli Ministri Plenipotentiarum allaboraverint, ne ullum Tractatus Instrumentum, omnium Partium subscriptione atque signatura destitutum, conficeretur. Adde, quod ipsis quoque respective Ministris Plenipotentiarum, quorum supra mentionem fecimus, inusitata hæc Articulorum Præliminarium subscriptio nonnihil hæsitationis attulit, (g) & quod

(f) Conf. *Traité de la Quadruple Alliance*, & quidem, *Declaration donnée par les Plenipotentiaires du Roi de la Grande-Bretagne* apud ROUSSET T. I. p. 208.

(g) *On proposa*, inquit ROUSSET c. l. T. III. pag. 411. *dans la conférence que l'on tint chez le Prince Eugène de Savoie le 13 de Juin, quelques remarques sur la manière étrange & injuste de cette Signature qui étoit faite en partie à Paris, en partie à Vienne, en deux Places & en deux*  
tems,

quo de alio Instrumento subscribendo signandoque  
 expresse inter se convenerunt, (h) simul ac quin-  
 que contractantium Principum Ministri in uno eo-  
 demque loco congregati forent.

§. VI.

Verum enim vero causas easque, opinor, haud  
 contemnendas habeo, quamobrem (salvo tamen me-  
 liori iudicio,) ejuscemodi Instrumento, quale Arti-  
 culorum Præliminarium est, ratione Subscriptionis  
 atque Signaturæ parem cum illo, quod secundum ha-  
 ænus receptam formam signatum est, auctoritatem  
 attribuendam esse existimem. Nam ut contrariæ  
 sententiæ jugulum statim premam, totum juxta so-  
 lennem formam signandi subscribendique negotium  
 in earum consuetudinum atque solennitatum nume-

B 2

rum

---

*tems differens, quoique d'un même Acte, en sorte qu'on pourroit dire que  
 l'une ne seroit que la Copie de l'autre.*

- (h) Dominus Walpole in literis ad Ducem de Richelieu datis d. 1. Junii  
 1727 inquit: - - *On est de plus convenu ici d'un commun accord, que si  
 en ces entrefaites & avant qu'on fut instruit de ce qui se seroit passé à  
 Vienne à cet egard, le Roi d'Espagne envoie à Mr. le Baron de Fonseca un  
 Pleinpouvoir, ou que Sa Majesté autorise quelqu'autre personne pour si-  
 gner de Sa part ici, en ce cas nous signerons tous de nouveaux Instrumens  
 avec le susdit Plenipotentiaire d'Espagne. Et ROUSSET c.l. pergit:  
 Ainsi on convint unanimement que tant pour remedier à cette informalité,  
 qu'au contenu peu convenable du Pleinpouvoir Espagnol, quoique l'on  
 tint pour bonne & valable la presente signature, on en ferait une nouvelle  
 à Vienne ou à Paris, aussi tôt que l'on y pourroit avoir ensemble des Pleni-  
 potentiaires des cinq puissances contractantes.*

rum refero, quas Gentes libere receperunt, quibus libere utuntur, quæque eam ob causam ita comparatæ sunt, ut eas quoque libere & urgentibus circumstantiis tuto negligere possint. Plurimum protecto hæ consuetudines, & Leges à natura datæ inter se differunt. Hæ enim, uti inter omnes constat, Gentes atque Principes in Statu naturali viventes tanta vi obligant, ut actus contra earum normam suscepti plane inanes sint atque irriti, neutiquam vero illis consuetudinibus quarum modo mentionem iniecimus, idem pondus inest, sed omni, si rem accuratius examines, obligandi necessitate destituuntur, nisi expressa pacta unam alteramve inter Gentes quasdam firment. Probe scio quod isthæc sententia iis non aridet qui cum Grotio, (i) Viro alias ob restauratas Belli & Pacis leges immortalilaudæ digno, Jus aliquod Gentium voluntarium sibi fingunt. (k) Hi enim omnes istas consuetudines specioso hoc titulo exornant, obligandi vim ipsis tribuunt, & de iis tandem in formam artis redigendis magna crepant. (l) Ast, uti illustris Puffendorffius, (m) Thoma-

(i) L. I. c. I. §. 14. & L. III. c. IV. §. 15. *de Jure Belli & Pacis.*

(k) v. g. KULPISIUS in *Collegio Grot.* p. 18. HUBERUS *de Jure Civitatis L. I. Sect. I. c. 5.* Dn. GLAFEY in *Natur- und Völcker-Rechte* p. 192. *segg.* RACHELIUS in *Dissert. de Jur. Gentium.*

(l) Conf. J. P. à LUDEWIG *de Jure adleg. Ordin. Imp. c. 4.* adde quæ V. C. Corollarii loco posuit in *Dissertatione de auspicio regio.*

(m) *de Jure Nature & Gentium* L. II. C. III. §. 23. *segg.* p. 213. *edit. gallic. in 4to de an. 1712. Amsterd.*



Thomafius, (n) Barbeyracius, (o) aliique (p) hujus Juris Gentium voluntarii fundamenta argumentis sat validis destruant, atque solam imitationem in rebus meri arbitrii obligationem haud inferre, solide demonstrant; ita ego quoque nullum aliud Gentium Jus, quam Juris naturalis regulas ad Gentium Statum applicatas agnosco. Jam vero certum est quod hæ Leges in Gentium conventionibus perfectum equidem consensum, neutiquam vero Instrumenta, (q) multo minus Subscriptionem atque Signaturam juxta hætenus receptam formam requirant. Nulla quoque expressa pacta adsunt quibus Gentes ad observandam illam signandi scribendique rationem necessario adstringuntur. Quis igitur dubitabit, quin ea optimo jure in earum consuetudinum numero habenda sit, de quibus affirmamus, eas

B 3

ita

(n) *In Jurisprudencia divina* L. I. c. II. §. 105. seqq. & *in Fundamentis Jur. Nat. & Gentium* L. I. c. V. §. 73. seqq. add. *Dissertatio de Jure Consuetudinis atque Observantiae.*

(o) v. g. BUDDIUS *in Elem. Philos. practica* P. II. c. 1. §. 17. seq. WILLENBERG, *in Sicilim Jur. Gent.* L. I. C. I. qu. 32. seqq.

(p) in notis gallicis ad PUFFENDORFIUM c. l. atque ad GROTIUM *de Jure B. & P.* p. 56. edit. Amst. d. a. 1724.

(q) PUFFENDORFFIUS c. l. L. III. c. VI. §. ult. p. 396. cit. edit. *La validité des Conventions ne depend point en elle même des Ecrits ou des Actes qui en font foi. Cur on s'oblige aussi indispensablement sans écrit que par écrit; & selon le Droit naturel l'engagement ne laisse pas de subsister dans toute sa force quoique l'Acte du Contract soit perdu.*

ita comparatas esse ut Gentes earum formam usu tantum introductam libere immutent aut plane ab ea recedant. Aliam ex ejuscemodi consuetudinibus, præter eam de qua loquimur, exempli gratia proferre satis sit, ne plures enumerando Lectores fatigemus. Moris est ut Conventiones publicæ demum post Ratificationum permutationem publicentur, atque à die Publicationis effectum sortiantur. Jus à natura datum isthanc circumstantiam ignorat, sed usus eam introduxit, Gentes eam plerumque observant, & tamen Viri in negotiis publicis versatissimi, (r) experientia (s) atque ratio evincunt, actus contra illam normam à Gentibus susceptos omnino esse validos.

§. VII.

Plerasque harum consuetudinum necessitas, prudentia aut præconceptæ opiniones apud Gentes introduxerunt. Nonnullæ etiam illis inprimis tempor-

---

(r) CALLIERES in *Maniere de negocier avec les Souverains* C. XVIII. pag. m. 149. edit. Bruxel. d. a. 1716. inquit: *Lés Traitez ne sont publiez qu'après l'échange des Ratifications, & ils n'ont leur effet que du jour de la publication à moins qu'on n'en dispose autrement.* Adde WICQUEFORT in *Ambassadeur & ses fonctions* P. II. Sect. 15. p. m. 179. edit. Col. d. a. 1690. 4to.

(s) v. g. Pax Verbini conclusa d. 2 Maji 1598, publicabatur Parisiis d. 12 Junii, juramento autem demum d. 21 ejusdem Mensis firmabatur, quippe quod Ratificationis loco erat, add. WICQUEFORT. c. l.

poribus in usu esse cœperunt, quibus Juris Naturalis scientia crassis tenebris circumfusa jacebat. Juris Romani placita Viris publicis negotiis admotis tunc loco Juris Naturæ & Gentium erant. Omnium conventionum publicarum Instrumenta formulis è Jure civili petitis scatebant, (t) Notarii publici ad ea conficienda necessario requirebantur, & Principes per Mandatarios ac Procuratores *omnia sibi ad invicem observare & observari facere promittebant, bona fide, sub obligatione & hypotheca quorumcunque bonorum.*  
*tam*

(t) Curiositatis gratia adjiciam §. VIII. Instrumenti Venditionis Avenionis, factæ per Johannam Reginam Siciliae, emente Procuratore Papæ Clementis VI. d. 12 Jun. 1358, qui hujus tenoris est: - - - *Ceterum nos dicta Regina certificata prius legitime, quid sonant renunciaciones sequentes, & de effectibus earum renunciamus deliberate & consulte, ac expresse omni exceptioni doli, fraudis, lesionis & venditionis exceptæ per nos sicut præmittitur, de prædictis non factæ, non habitæ nec receptæ per nos; nec numeratæ pecunie ob causam prædictam & omni speciei numerationis & exceptionis futurorum, actioni & exceptioni in factum, & juri per quod lesis & deceptis ultra dimidium justî pretii vel aliter quomodolibet subvenitur, beneficio minoris ætatis, & restitutioni in integrum, si nobis forsitan competeret hac in parte; & L. Julii de Fundo dotali non alienando, & omni alii juri & privilegio in favorem mulierum introducto, quomodolibet & introducendo, & omnibus juris legibus, authenticis & glossis in toto Corpore Juris canonici & civilis contentis; statutis & consuetudinibus patriæ sive loci quibuscunque, per que præsens venditio & donatio hujusmodi possent cassari, infringi, imitari & aliter quomodolibet annullari in totum vel in aliqua parte sua etiam minima, de quibus in præsentibus literis seu Instrumento publico expressam oportet fieri mentionem, & specialiter alii juri, per quod cassetur invalida renunciatio generalis, nisi quatenus in contractu esset expressa. Vid. LEIBNIZIUS in Codice Jur. Gent. Diplom. p. 205.*

*tam presentium quam futurorum. (u) Tantum vero abest ut solennem signandi subscribendique formam ab hac regula eximam, ut potius firmissime persuasus sim, eam unice ex hoc fonte derivandam esse. Evolvās modo conventionum publicarum tabulas superiori ævo confectas, & deprehendes, quod *Man-datarii & Procuratores Tractatus & capitula in iis con-tenta propriis suarum manuum subscriptionibus, suorum-que sigillorum appositionibus una firmanda ac roboranda ducant, Eo acto quod hujusmodi subscriptiones cum Sigil-lis vim publicæ Scripturæ & Contractus solenni stipulatio-ne vallati obtinere censeantur, & hinc inde inviolabiliter observentur. (x)**

§. VIII.

Sed multa hujus generis & nostra, & superior jamjam ætas merito neglexit, posteaquam scilicet pleræque Gentes agnoverunt, publica negotia longe aliis quam Juris Romani aut Canonici principiis  
opus

---

(u) Conf. e.g. Tabulæ Confœderationis inter Carolum V. & Clementem VII. *P. R. d. a. 1529.* quæ extant in CORPS DIPLOMATIQUE UNIVERSEL T. IV. P. II. p. 5, ut & tabulæ *Conventiois Crepiacensis d. a. 1544. ibid. p. 286,*

(x) Verba sunt Instrumenti *Confœderationis inter Carolum V Imp. & Cle-mentem VII P. R* in nota (u) citati. Recte quoque HERTIUS in *notis ad Puffendorffii Jus Nat. & Gent. pag. 219.* observat Pontificis au-toritatem ad ejuscemodi consuetudines & formulas in Europæarum Gentiū conventionibus introducendas haud parum valuisse.

opus habere. (y) Subscriptionem certe atque Signaturam Instrumentorum quod attinet, haud pauca adsunt exempla quibus demonstrare possumus, Gentes solennem & supra recensitam signandi subscribendique formam, inprimis vero illud requisitum quo Ministri Plenipotentiarum in eodem Instrumenti exemplari una signare & subscribere tenentur, persæpe neglexisse. Unum alterumve adducam. Angliæ Reges in Conventionibus cum Septentrionis Principibus non raro hac consuetudine utuntur. (z) Idem obtinet in Instrumentis conventionum cum Turcis, (aa)

C

utpote

(y) Recte GROTIUS L. II. c. XVI. §. 31. de Jure B. & P. ait: *Illud non admittam quod quibusdam placuit, contractus Regum & populorum quantum fieri potest interpretandos ex Jure Romano: Nisi appareat inter quosdam populos jus istud civile in his que juris sunt gentium, etiam pro jure gentium receptum esse: Quod temere præsumendum non est.*

(z) Conf. RYMERUS Tom. XII. p. 374. T. XIV. p. 115. p. 278. & c. Adde, ut alia omittam, tabulas Foederis inter Magnæ Britanniæ & Sveciæ Reges de anno 1720 quarum ultima verba hæc sunt: *In majorem omnium supra dictorum certitudinem ac robur Tractatus hujus bina exemplaria confecta sunt, quorum unum supra dicti Sacræ Regiæ Majestatis Regniq; Sveciæ Senatores & Secretarius Status, alterum vero supra dictus Sacræ Regiæ Majestatis Magnæ Britanniæ Legatus Extraordinarius & Plenipotentarius omnes in eum finem speciali facultate instructi, Holmiæ subscripserunt & sigillis suis firmarunt, idque uno eodemque die, nimirum die 21 Januarii 1720.*

(aa) v. g. in Instrumento Pacis de anno 1718. ultima verba hujus tenoris

utpote qui nullum Instrumentum, nisi Turcico sermone exaratum, pro valido atque legitimo habent. (bb) Imo quod magis est, illustre aliquod exemplum in medium proferam, quod abunde demonstrat, ratam quandoque Instrumenti auctoritatem esse, Subscriptione atque Signatura à quibusdam contractantium Principum Plenipotentiaris plane neglecta. Quum enim in ipso tractatibus Pacis Westphalicæ sine imponendo, Legati (cc) propemodum omnium Imperii Ordinum adessent, tamen illi solum pacem obsignabant quorum nomina Articulus XVII J. P. O. & M. exhibet, reliquis vero Statuum Plenipotentiaris

---

noris sunt: *Ut demum conditiones pacis viginti hisce articulis conclusæ utrinque acceptatæ debito summoque cum respectu inviolatæ observentur: siquidem Domini Plenipotentiaris Ottomannici vi concessæ eidem facultatis Imperatoris Instrumentum Turcico sermone exaratum, & subscriptum legitimum & validum nobis exhibuerint, Nos quoque vi Mandati & Plenipotentis nostræ, manibus Sigillisque propriis subscriptas hæcæ pactorum literas in latino idiomate tanquam validum Instrumentum extradidimus. add. verba finalia Instrumenti Pacis inter Portam Ottomannicam & Rempubicam Venetam de anno 1718.*

(bb) Vid. *Le parfait Ambassadeur par Don Antonio de VERA y CUNIGA* p. 31. edit. Lugd. Bat. 1709. 8vo.

(cc) Syllabum eorum præter Electorales vide apud Autorem *Arcan. Pacis Westphal.* p. 404. seqq.

riariis velint an nolint nomina sua subsignare, liberum relinquebatur. (dd)

§. IX.

Cæterum autem prudentiæ politicæ convenientissimum judico, uti ab aliis consuetudinibus, ita quoque ab hæctenus recepta signandi subscribendique forma sine ulla causa non recedere. Primum enim consveta non perturbant, deinde illa signandi subscribendique ratio nonnullis commodis gaudet haud contemnendis, postremo causæ eæque sat graves adsunt, (quas tamen prudens silentio involvam,) quamobrem nondum omnia in Gentium negotiis secundum Juris Naturalis simplicitatem peragi possint. Non omne quod licet, statim conducit. Tempus relinquendum est nonnullis consuetudinibus, quo se-

C 2

nescant.

---

(dd) - - - Reliquis Statuum Plenipotentariis liberum relinquendo, velint an nolint nomina sua subsignare, suorumque Principalium ratificationes accersere, sed hoc pacto atque lege, ut subscriptione jam nominatorum Deputatorum reliqui status omnes & singuli, qui subscriptione & Ratificatione supersedent, tam firmiter ad observantiam & manutenentiam eorum que in hoc Pacificationis Instrumento continentur obligati sint, ac si ab ipsis subscriptio fuerit facta, & exhibita ratificatio, nec ulla à Directorio Imperii Romani contra Subscriptionem à memoratis Deputatis factam recipiatur aut valeat vel protestatio vel contradictio. - - - Artic. XVII. §. 12 I. P. O. §. 120. M.

nescant. Multa denique prudenter observantur, quæ urgente necessitate juste & valide negliguntur.

§. X.

Hæc igitur sunt illa fundamenta quibus mea, de rata Instrumenti XII Articulorum Præliminarium ratione Signaturæ atque Subscriptionis autoritate, demonstratio innitur. Plenus, ultroneus & mutuus Partium contractantium consensus, primum & essentielle Pactorum requisitum illud firmat. Hactenus recepta atque inter Gentes plerumque usitata signandi subscribendique forma quandoque libere & tuto, multo magis si Partes contractantes expressâ conventionem aliam ratam habeant, negligitur. Pro omnibus hic intervenientibus respectivè Principibus atque Statibus militat præsumptio, nuda eorum promissæque efficaciam esse ac omnibus solennitatibus vestita. (ee) Præterea etiam haud temere, sed  
 urgen-

---

(ee) Experimentis enim dudum annotatum est, reliquis Principibus eandem laudem attribuendam esse, quam Marchio de la PAZ de Hispaniarum Rege circumfert: - - - *Ofreciendo, S. M. dar desde à hora para la execucion de estos puntos las disposiciones, y ordenes correspondientes al fin que - - - tengan efecto sin dilazion alguna estas seguridades que doy à V. E. en nombre de S. M. y de bajo de Su positiva Real Palabra; ne pudiendo en verdad imaginarse una prenda*



urgente necessitate, atque eum in finem, quo,  
 nulla mora interposita, omnes simultates sopian-  
 tur, & erumpens jamjam Belli flamma extingua-  
 tur, à solenni signandi forma recedunt. Tabu-  
 læ, (ff) quibus Legatis fiduciam conciliant, ple-  
 nam,

C 3

---

*prenda mas segura, ni un instrumento mas autorizado por la buena  
 fee, y religiosa notoria observanzia con que el Rey mi Amo es mas  
 celofo del honor de Sus promesas. - - - Vid. Literas Marchionis de  
 la PAZ, quas Galli Lettres d'Office vocant, ad Comitem de ROT-  
 TEMBOURG d. 3 Decemb. 1727 datas apud ROUSSET c. 1.  
 Tom. IV. pag. 43.*

(ff) Ne quid eorum quæ ad argumentum nostrum spectant desit,  
 etiam Plenipotentiarum tabulas subijciam:

*Nos CAROLUS VI. &c. &c. &c. Cum à tempore non multo  
 abhinc, certæ simultates nonnullos inter Europæ Principes exorta sint,  
 que propediem in apertum bellum erumpere minabantur, & vero in-  
 ter Regem Hispaniarum, Regemque Magnæ Britanniæ actu erupe-  
 runt, iis vero amicabiliter componendis certi Articuli pro parte Chri-  
 stianissimi Regis ejusque Confederatorum expositi Nobis fuerint, qui  
 ad præparandum Congressum pro Pacificatione generali dissidentium  
 Principum institutum prævie seu præliminariter subscribi ac signari  
 debeant; hinc est quod magnifico nostro & Sacri Romani Imperii  
 fideli dilecto Marco Baroni d'Effonseca potestatem plenam fe-  
 cerimus, prout hisce facimus, ut præfatos Articulos Præliminares  
 cum Plenipotentariis Ministris interuentium Principum, nomine  
 nostro, tanquam Minister noster Plenipotentarius, subscribat & si-  
 gnet; Verbo Cæsareo, Regio & Archi-Ducali promittentes, Nos  
 eos à præfato Plenipotentario Nostro ita subscriptos & signatos Ar-  
 ticulos intra tempus conuentum approbaturus & ratificaturus esse.  
 In quorum fidem ac robur &c. &c.*

LOUIS

nam, Instrumenta quæcunque, quæ ad consilium  
scopum-

LOUIS, &c. &c. &c. Comme il s'est elevé depuis quelque tems, des differends qui ont déjà donné lieu à plusieurs hostilités entre quelques Puissances, & qui auroient pu causer un embrasement general dans l'Europe s'il n'y étoit pourvû sans retardement; ainsi que Nous & Notre tres-cher & tres-aimé Frere, le Roi de la Grande-Bretagne, & Leurs Hautes Puissances, Nos très-chers & grands Amis les Etats Généraux des Provinces Unies des Pais-Bas le desirons avec un égal empressement; Nous avons voulu entrer dans tous les moyens propres à raffermir, entièrement la tranquillité générale, & Nous confians en la capacité, experience, zele & fidelité p ur Nôtre service de Notre amé & seal le Sr. Fleriau Comte de Morville, Nôtre Ministre & Secretaire d'Etat des Affaires étrangères, Chevalier de la Toison d'Or. Pour ces causes & autres bonnes considerations à ce Nous mouvans, Nous avons commis, ordonné & député, & par ces presentes signées de Nôtre mains, commettons, ordonnons & deputons le dit Sr. Comte de Morville, & lui avons donné & donnons Pleinpouvoir, commission & mandement special, pour conjointement avec les Ministres de Nôtre dit Frere le Roi de la Grande-Bretagne & des Seigneurs Etats Généraux des Provinces Unies des Pais-Bas, convenir en Nôtre nom, en qualité de Nôtre Ministre Plenipotentiaire avec les Ministres Plenipotentiaires de Nôtre tres-cher & tres-aimé Frere, l'Empereur des Romains, & de Nôtre tres-cher & tres-aimé Frere & Oncle le Roi d'Espagne, pareillement munis de Pleinpouvoirs en bonne forme, arreter, conclure & signer avec les dits Ministres ensemble ou separament tels Traitez, Articles & Conventions, que le dit Sr. Comte de Morville avisera bon être, voulant qu'il agisse en cette occasion avec la même autorité que Nous ferions & pourrions faire, si Nous y étions presens en personne, encore qu'il y ait quelque chose qui requit un Mandement plus special, non contenu en les dits Presens, promettant en foi & parole de Roi, d'avoir agreable, tenir ferme & stable, accomplir & exécuter ponctuellement tout ce que le dit Sr. Comte de Morville aura stipulé,  
promis

scopumque facilius efficaciusque assequendum  
facere

promis & signè, en vertu du present Pouvoir, sans jamais y contre-venir, ni permettre qu' il y soit contrevenu, pour quelque cause, ou sous quelque autre prétexte que ce puisse être, comme aussi d' en faire expedier Nos lettres de Ratification en bonne forme pour être échangees dans le tems dont on sera convenu, car tel est Notre plaisir. En temoin de quoi Ncus &c. &c.

GEORGIUS, &c. &c. Omnibus & singulis ad quos presentes hæ Literæ pervenerint salutem. Quandoquidem ardentissimo flagrantibus desiderio, pacem & tranquillitatem totius Europe communem restituendi conservandique & bellorum flammis jam erumpentes & latius in dies sese sparsuras extinguendi, Virum quendam eo negotio parem nominare, atque auctoritate sufficienti instruere duxerimus, qui cum Ministris ex parte Principum Rerumque publicarum, quorum interesse poterit, ad opus adeo salutare & necessarium Deputatis & Instructis conferre, & Tractatus aliave Instrumenta consicere possit; Sciatis igitur, quod Nos fide, industria & in rebus magni momenti tractandis usu & perspicacia, fidelis & dilecti Nobis Horatii Walpole, Armigeri plurimum confissi, eundem nominavimus, quemadmodum per presentes nominamus, facimus & constituimus Nostrum verum, certum & indubitatum Commissarium, Procuratorem & Plenipotentiarium; dantes & concedentes eidem omnem & omnimodam potestatem, facultatem, auctoritatemque, nec non mandatum generale pariter ac speciale, (ita tamen ut generale speciali non deroget, neque contra) cum Ministris quibuscumque, à quocunque Principe vel Republica auctoritate sufficienti instructis, congregandi, colloquendique, ac Tractatus, Conventiones, seu Pacta Conventa, Articulos sive secretos sive separatos, atque Instrumenta demum quæcunque, quæ ad consilium scopumque supra memoratum facilius efficaciusque assequendum facere possint, pertractandi, peragendi, concludendi, consiciendique, atque ea omnia quæ ita peracta & conclusa fuerint, pro nobis & nostro nomine signandi, eademque mutuo tradendi, recipiendique ac generaliter ea omnia præstandi, perfici-

facere possent, conficiendi, signandique potestatem

*perficiendique, que quovis modo necessaria ad finem salutarem supra dictum attingendum, vel quomodolibet opportuna esse judicaverit, tam amplis modo & forma ac vi effectuque pari ac Nos ipsi, si interessemus, facere ac prestare possimus; spondentes ac in verbo Regio promittentes, Nos omnia & singula quaecunque à dicto nostro Commissario, Procuratore & Plenipotentiaro, vi presentium transigi, concludi & signari contigerint, grata, rata & accepta, iis prorsus modo & forma, quibus conventa fuerint, habituros. In quorum omnium majorem fidem &c. &c. &c.*

LES ETATS GENERAUX des Provinces - Unies des Pais-Bas, à tous ceux qui ces présentes verront salut. Comme nous n' avons rien plus au Coeur que la conservation de la Paix & de la tranquillité publique, ne soubaitant rien avec plus d'empressement, si non que les differends, qui agitent présentement l'Europe, & qui la menacent d'une guerre prochaine, puissent être assoupies par une bonne & prompte Conciliation, & qu'à cet effet on puisse convenir au plutôt de quelques Préliminaires pour poser le fondement à une Negociation ulterieure dans un Congrès général, où ces differends pourront être discutez plus amplement, & comme Nous connoissons les mêmes sentimens pacifiques dans Leurs Majestez Très-Chrétienne & Britannique Nos Alliez, & que Nous, ne doutons point que Sa Majesté Imperiale & Sa Majesté le Roi d'Espagne ne soient aussi portez à entrer dans toutes les voyes qui pourront conduire à prévenir la guerre, & à conserver la paix, si est ce que Nous fians entièrement à la prudence, fidélité & experience du Sr. Guillaume Boreel, Nous l' avons nommé, élu & constitué, le nommons, l' elisons & constituons Nôtre Plenipotentiaire, lui donnant par les presentes Pleinpouvoir & Mandement tant général que special, pour que conjointement avec les Plenipotentiaires de Leurs Majestez Très-Chrétienne & Britannique, il puisse conférer & traiter avec celui ou ceux qui aura pareillement Pleinpouvoir de Sa Majesté Imperiale & de Sa Majesté le Roi d'Espagne sur les Articles Préliminaires qu'on

tem iis faciunt. Plenipotentiariorum denique acta Principes intervenientes rata habent. (gg)

§. XI.

Sed manum de Tabula. Si unum alterumve horum argumentorum Tibi, L. B. frigidum aut leve videtur, cogites velim, non posse perinde separata probare, ac conjuncta. Atque ut in agricultura

---

*qu'on jugera convenable pour preparer un chemin à un Congrès & à une Conciliation générale, d'en convenir, d'arrêter, conclure & signer tous les Articles dont on sera convenu, d'en passer les Instrumens necessaires, & de faire à cet égard tout ce que Nous aurons pour agreable, ferme & stable tout ce que le dit Sr. Guillaume Boirel, en vertu de ce Nôtre Pleinpouvoir aura negocié, arrêté, conclu & signé, & que Nous passerons là-dessus Nos Actes d'Aprobation & de Ratification en bonne & due forme. En foi de quoi Nous avons fait munir. &c. &c.*

Plenipotentiarum Tabulæ Suæ Sacræ Majestatis Regio - Catholicæ Hispanicæ nondum ad manus sunt; nullus autem dubito, quin illæ etiam ita comparatæ sint, ut Instrumentum nostrum ratione subscriptionis atque signaturæ æque commode ac reliquæ defendant. Verum equidem est Ducem de Richelieu Ducem de Bournonville de Plenipotentiarum tabulis controversiam movisse, (vid. ROUSSET. c. l. T. III. p. 410.) sed de potestate quam Hispaniarum Rex Ducem de Bournonville hisce Tabulis fecerat, quæstionem non habebant. (ROUSSET. c. l.) Multa, ut nullis dubiis obnoxia, sub initium harum Tabularum posita deprehendebat Dux de Richelieu, quæ Fœderis Hanoverani fociis controversa & contentions plena erant. Hæc igitur ut omitterentur summo studio contendebat.

(gg) Vid. ROUSSET. c. l. T. III. p. 40. add. Tomus IV. p. 13. seqq.

D

cultura non vineas tantum, verum etiam arbuſta,  
 nec arbuſta tantum, verum etiam campos cura-  
 mus & exercemus; utique in iſtis campis non  
 far aut filiginem ſolam, ſed ordeum, fabam cete-  
 raque legumina ſerimus; ſic quoque in defen-  
 dendo aliquo negotio plura quaſi ſemina latius  
 ſpargimus, ut, quā provenerint, colligamus. Si  
 quid autem in his quā tradidi omnino erratum  
 eſt, veniam poſtulo, eamque facilem mihi ab illis  
 promitto, qui experiundo didicerunt, in hac eru-  
 ditionis parte majora non raro ſubſidia ex diutur-  
 no rerum uſu, & Virorum rebus publicis admo-  
 torum ſermonibus, quam è libris petenda eſſe.  
 Reliquis elegantiſſimum illud Venuſini vatis mo-  
 nitum etiam atque etiam commendo,

- - - *Si quid noviſti rectius iſtis,*

*Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.*

T A N T U M .

COROL

## COROLLARIA.

I. Vera sunt quæ TACITUS L. I. Annal. c. 26, de origine civitatis habet: *Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui æqualitas, & pro modestia ac pudore, ambitio & vis incedebat; provenere dominationes: multosque apud populos æternum mansere.*

II. Potentia in Gentium Statu idem non est, quod Magistratus in Statu civili.

III. Gens æmula non est plane delenda, ne desint, qui Virtutem acuunt.

IV.

ak Th 9 88

X 2374677

IV. Prudentiæ politicæ robur in animorum cognitione consistit.


V. Falsum est, Ambitionem optimum Virtutis simulacrum esse.

VI. Europæ æquilibrium ad Gentium instituta licita & utilissima referendum esse existimo.

VII JULIO ALBERONI suum decus rependet posteritas.







B.I.G.

Farbkarte #13

*B. m. II 177. 442, 20*  
*h. 420.*

*II n*  
*988*

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA  
DE  
SUBSCRIPTIONE  
ATQUE  
SIGNATURA XII. ARTICU-  
LORUM PRÆLIMINARIUM  
DE AN. MDCC XXVII

QUAM  
PRO JURIBUS QUIBUS LIPSIENSES  
PHILOSOPHIÆ MAGISTRI GAUDENT  
OBTINENDIS

M. GOTTLIEB SCHUMANN  
J. U. C.

RESPONDENTE HORIS POMERIDIANIS  
EPHRAIM HERRMANNO

TROZENDORF. LUSAT.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT.

D. V. MARTII A. O. R. CIO IO CC XXIX.

LIPSIÆ,  
LITTERIS GEORGII SAALBACHII.

18

*18.*

